

FRAGMENTVM CARMINIS
DE BELLO GERMANICO

Georgius Valla, ad Iuv. 4, 94¹⁾: Acilius Glabrionis filius consul sub Domitiano fuit, Papinii Statii carmine de bello Germanico, quod Domitianus egit, probatus:

lumina: Nestorei mitis prudentia Crispi
et Fabius Veiento – potentem signat utrumque
purpura, ter memores implerunt nomine fastos –
et prope Caesareae confinis Acilius aulae.

Versiculos expletis numeris inexpletaque sententia descriptos tardior ille Iuvenalis interpres non ex ipso carmine decerpsit, sed, ut arbitror, e cuiusdam antiquioris grammatici nescio quo lemmate hausit. hos Statio iam securi imputamus: quae enim Fors ne integrum opus percurremus invida prohibuit, eadem simul benignior cavit ne tantulae reliquiae peculiaribus et poetae et temporum vestigiis carerent. nam *Fabius Veiento* illud, quod probe Buecheler explanavit²⁾, vocibus duriuscule adiunctis, mire cum silv. 1, 2, 223 *Parnasus honos congruit*; item *implerunt . . . fastos* cum eos annos subaudit, quos Caesar suo nomine insignes aperiret, fastos per suffectos statim consules impleturus³⁾, tum poetam patrem